





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-637078-p0001-3

DFG







1683.

1. Becker, Gott. eß Ehrenreich : De officio hominis circa aggressores.
2. Huns'ch, Ioh. Fridericus : De moralitate ablationis rei absentie
3. Wagenseilus, Joh. Christopherus : De re monetae veterum Romanorum.
- 3^a, 6^c Mylius, Gallus. Nicolaus : De iudicium circa torturam excedentium emenda. 3 Saec. 1683, 1716 - 1746.
4. Melickius, Ioh. Henricus : De portulis. 2 Saec. 1683 - 1716.
5. Mylius, Anders : De remediosis subsidiariis
6. Philippus, Fridericus : De iuramento judiciali.
- 7^a, 6^c Philippus, Fridericus : De subtilissimis temporibus. 3 Saec. 1683, 1711 - 1729.
8. Philippus, Fridericus : De nominatione auctoriis
9. Philippus, Fridericus : De demonstratione
10. Romanus, Cap. Theophil. : De pedagio
11. Romanus, Christianus : De prioritate ac posterioritate temporis dabis alysse inserta.

1683.

513
12. Thomaeus, Christianus: *De jure eorum colorum.*

2 Tompl.

14. Weber, Emanuel: *De politia ante lassum.*



AK 1

10

O

N

A

M.

P. 52.

14

DISPUTATIO MORALIS

De

MORALITATE ABLATIONIS

REI ALIENÆ

Tempore Necesitatis,

Quam

Inclutæ Facultatis Philosophicæ

in

ALMA LIPSIENSI

Consensu,

P R A E S I D E

M. JOH. FRIDERICO *Heunisg/*
Svinfurtensi,


PUBLICÆ ERUDITORUM DISQVISITIONI
sistit

GABRIEL *Rehler/*

Gedanensis.

Ad d. X. Novembr. A. O. R. M. DC. LXXXIII.

L I P S I Æ,
Typis CHRISTIANI GÖTZI.



54.

Joh. magnif. C. S. Alber.
P. P.

ДИПАТИ МОЛА

Д

ЭТАПЫ ДОМ
СМОКТАЕВА

РЯННЕ

Тема: Мечтатель

Лирико-драматическая

АМАЛИЯСИ

Сонеты

Проза

НОВЫЙ РИДДЕРГО

Стихотворения

Книга для чтения для детей

ГАРИБОДИ

Графиня

Любовь и ненависть

ЛЮДИ

Литературный календарь



109.

B. C. D.

§. I.



Ecessitatem lege carere, omnium vox est, licet non omnes, quānam & quanta intelligatur necessitas, intelligent. Hinc tot vexatisimæ de Moralitate actionis tempore necessitatis commissæ quæstiones, quæ omnes aliquo modo huic fundamento inniti videntur. Nobis unicam liceat in præsentiarum in materiam publicæ disquisitionis proponere, & quidem thesibus, quantum fieri poterit paucissimis, eam scilicet, quæ de ablatione rei alienæ invito Domino agitur. Licet verò quæstio dupliciter à Moralistis formari soleat, videlicet (1.) utrum liceat in extrema, & (2.) utrum in gravitatum necessitate res alienas invito Domino eripere; nobis tamen de priori potissimum Sermo erit, cum nulli dubitemus, quin ea jam jam sit sufficiens exercitii disputatorii materia, cui hīc unicè studemus.

§. 2.

Differentiam autem extremæ atque gravis necessitatis Barthol. Mastrius de Meldula Theol. Moral. Disp. IX. q. 1. art. 2. §. 20. ita exprimit, ut gravis dicatur, quam quis patitur ob carentiam eorum, quæ ad suum statum conservandum necessaria sunt, extrema verò, quam quis patitur, non habens omnino necessaria ad sustentationem & vietum cum periculo vita & gravis morbi. Hac extremâ necessitate id necessarium dicit. Maximè Reverend. Dr. D. Alberti Compend. f. N. p. I. c. 6. p. 115. seq.

A 2

quod

quod suscipitur, ubi nulla alia suppetunt. Licet verò sint
qui cum B. Meisnero Phil. Socr. part. III. Sect. 1. c. 6. q. 2. f. m. 289.
arbitrentur, necessitatem istiusmodi extremam potius fingi,
quam dari, quin tamen illa evenire queat, non dubitamus, vi-
de quæ in hanc rem disputat Excell. Dn. D. Thomasius Not. ad
Exerc. Strauch. f. 213. Qvis enim dubitat, quod minus tempore
belli vel pestis eò quod quis adigi possit, ut neque precibus, neque
laboribus, quod vitam sustentet, acquirere queat, quod utique
extrema erit necessitas. Non tamen omnis necessitas, quæ
periculum vitæ atque gravis alicujus morbi infert, pro extre-
ma statim erit æstimanda. Quamdiu enim spes adhuc rationa-
lis melioris fortunæ alia appetet, tamdiu extrema nondum ad-
est necessitas, neque medium extra casum necessitatis illici-
tum, licet adhiberi potest, ubi spes in alio vitæ remedio ratio-
naliter ponitur; Ast hæc ubi evanescit, extrema fit necessitas.
Ita sibi adest periculum vitæ, quod tamen non omnem in
medicamentis fiduciam excludit. Qvare à præsentia periculi
vitæ ad præsentiam extremae necessitatis N. V. C. Aliter ta-
men censendum, si infirmitas imminet incurabilis, vid. Sayr.
Tbes. Cas. Consc. l. IX. c. 14. n. 18.

S. 3.

Illa tamen extrema licet necessitas nunquam tanta erit,
ut ipsam legem vel moralem vel positivam immutare queat,
sed mutat tantum actionem, quæ est circa legem, i. e. facit ut
actio, quæ extra casum necessitatis commissa contra legem fu-
isset, in illo ipso non aduersetur, vide Dn. D. Alberti l. c. pag. 27.
Omnis enim lex non includit id, quod ille, cui lex fertur, non
potest præstare eo tempore, quo ipso Lex lata fuit, conf. Ma-
gnif. Dn. D. Scherzerum, *Patronum nostrum etatem devenit* *naturam*,
System. Loc. IX. f. 262. & *Calixti Theol. Moral. f. 69.* cùm finis illius
sit præstatio, astillam ab impotente frustrè exegeris. Qvis
vero Legislatorum fatebitur, legem suam [nisi per accidens]
esse frustaneam? adde, quod quicquid extremè necessarium
est, illud à nemine possit immutari, & consequenter illius im-
mutatio etiam lege non fuit præcepta. Id quod de lege positi-
va

va facile patet, qvorsum refert Dn. Pufendorf. l. 2. c. 6. §. 2. locum Matth. XII. 24. cùm enim illa necesitati hominis subvenire omnibus viribus intendat, non video, qvomodo id qvod unicūm supereft declinandæ necessitatis medium improbet. Sed qvid de lege morali censendum? Scilicet videtur h̄c distinguendū cum Celeberr. Dn. Pufendorf. l. c. f. 238. inter præcepta illius affirmativa, qvæ qvia ad exercitium actūs præsupponunt occasionem, materiam & facultatēm, exceptionem extremae necessitatis admittunt, & negativa, qvæ non item.

§. 4.

Cæterū cùm omnis actio physica ut physica spectata moraliter sit indifferens, patet qvòd moralitas ipsi adveniat à circumstantia aliqua morali. Illa autem vel est inseparabilis, vel separabilis, sicut e. g. locutio contra DEUM, licet ut actio physica considerata foret indifferens, tamen qvia habet conjunctam circumstantiam moralem inseparabilem, actio dicitur naturā mala, qvæqve nullo tempore, & per nullam circumstantiam licita fieri potest. conf. B. Hülsemann. Extens. Breviar. cap. 4. num. X. atqve Magnificum nostrum Præceptorem, Dn. D. Scherzerum loc. cit. fol. 133. Qvis enim dixerit, actionem inseparabilis ἀταξίας, per novam accendentem circumstantiam, separabilem in licitam posse mutari? Unde de his actionibus rectè dico, hæc actio ut talis est contra DEI immutabilem atque sanctissimam justitiam, e. g. locutio contra DEUM ut est locutio contra DEUM adversatur Legi Naturæ, abnegatio DEI ut talis, perjurium ut tale illi contrariatur. Aliæ verò cùm ut actiones physice spectatæ, moraliter quoqve sint indifferentes, fiunt morales per circumstantiam aliquam separabilem, sicut e. g. occisio hominis ut occisio hominis moraliter, nec bona est, nec mala. Dico separabilem, cùm tales actiones neqve semper bonæ neqve semper malæ sint, unde de his dicere non possum, actio hæc ut talis est contra Legem Naturæ, qvia qvod de actione reduplicativè prædicatur, id ipsi semper competit. Hinc patet, qvòd tales actiones tempore extremæ necessitatis moraliter licitæ sint atqve concessæ. Ratio est, qvia

A 3

ex se

ex se nullam $\alpha\zeta\eta\alpha$ habent, neque aliquam à conjuncta illa circumstantia, extrema scil. necessitate, accipiunt, ita abscissio membra alicujus ut talis est indifferens, neque ut talis contra Legem Naturæ esse dici potest, cùm aliás nunquam licet posse concedi, E. tempore extremæ necessitatis moraliter adeo non est mala, ut infectus ad illam potius sit obligatus. Præstat enim ut pereat unum aliquod membrum corporis, quam ut totus homo intereat, sicut præstat ut pereat unum societatis membrum, quam ut unitas & tota societas. Ita licita est defensio sui ipsius, etiam quæ fit cum alterius interitu, tempore necessitatis extremæ, quia alterum occidere, non est ut tale malum aut contra Jus Naturæ, circumstantia vero, cum qua illa actio est conjuncta, similiter nullam arguit vel involvit $\alpha\zeta\eta\alpha$, E. colligo, ipsa occisio alterius tempore necessitatis facta, non est mala, nisi aliunde vitiosa accedat affectio.

§. 5.

Et ex his, ut ad scopum nostrum proprius accedamus, aliquo modo videtur judicium fieri posse de ablatione rei alienæ in invito Domino tempore extremæ necessitatis facta. Grotius quidem de J. B. & P. lib. I. c. 2. §. 6. cum suis negat bona fortunæ in tali casu aliena esse censenda. Putat enim tunc reviviscere jus illud pristinum rebus utendì, tanquam si communes mansissent. Verum quæ difficultates illam argumentationem premant, vide ap. Dn. Ziegler. not. ad Grot. f. 231. ut & Dn. Osiandr. in Grot. ad lib. II. c. 2. f. 672. Amesius de Conscient. lib. V. c. 50. f. 418. ita ratiocinatur: quod istiusmodi ablato licita sit atque concessa, patet ex Jure Naturali, divisione rerum antiquiore & superiore, quod jure humano, quo facta est divisio rerum, non potuit abrogari, quod idem urget Sayr. Clav. Reg. Sac. l. IX. c. XIV. n. 18. Ratio affertur, quia alioquin rerum communium divisio, jure gentium introducta, iniqva foret, nisi ea tacita conditione facta esset, ut tamen in extrema necessitate omnia communia essent, id est, cuilibet integrum maneret jus naturale ad accipendum vel usurpandum, quibus extremè indiget, verba fuerunt Laymanni Theol. Mor. lib. III. tr. III.

tr. III. part. I. c. I. q. 4. n. 7. Dn. Kulpis. Colleg. Grot. f. 30. putat,,
deficere rationem furti genericam, cùm non adsit fraudulenta
contrectatio, nec dolus, qvem tamen adesse vult Dn. Ziegler. l.
c. f. 231. cuius rationes examinat Pufendorf. l. c. Alii denique
aliter id probare satagunt, conf. Ferdin. de Castro Palao Opp. Mo-
ral. part. I. tr. 6. Disp. 2. punct. 9. atqve Trullench. Opp. Moral. Tom.
I. lib. 7. c. 5. dub. 6.

1101.

§. 6.

Et qvòd illa actio licita sit, probatur, qvia qvæcunque
ut talis non adversatur sanctissimæ DEI justitiæ, atqve legi i-
psiis immutabili, illa urgente extremâ necessitate moraliter &
in foro morali licita est censenda, ex disputatis superiùs. Qvòd
enim tales actiones possint diversimodè moraliter mutari, pro-
ut diversis subiectæ sunt circumstantiis, nemo inficiabitur,
Substantiali enim bonitate destituuntur, accidentalis autem à
circumstantiis separabilibus fit potissimum. vid. Strimes. Praxio-
log. f. 227. [qvæstionem scholasticam, an detur etiam moralitas
ab objecto, nunc mittimus, vid. Eustach. Ethic. part. 3. tr. 1. Disp. 1.
q. 6.] Maximè autem mutabuntur à maximè urgente circum-
stantiâ, qvâ nulla extremâ necessitate major esse potest. Mi-
norem vix aliquis inficiabitur, modò consideret, qvòd e. g.
furioso Domino invito res aliena licite posse eripi. E. ereptio
rei alienæ invito Domino ut sic spectata, non repugnat legi
Divinæ immutabili: Inquis, eripitur furioso licite, qvia scil.
(1.) magis malum evitatur, & (2.) ipsa societas conservatur,
qvia membrum societatis per id conservatur. Resp. E. (1.) e-
reptio rei alienæ invito Domino ut talis non adversatur legi
Divinæ immutabili, qvia non semper adversatur, sed illicita
fit ob illicitam supervenientem circumstantiam separabilem.
(2.) E. & hic licite eripitur, qvia per id evitatur magis malum,
spoliatio membra alicujus societatis, cujus multa adhuc in-
Remp. potuissent extare officia, adeoq; (3.) ipsa societas serva-
tur, qvia membrum societatis conservatur.

§. 7.

Et qvæso, cur ex disputatis superiùs atqve concessis Mo-
ralista-

ralistarum, licet alteri vitam eripere, ut mea conservetur, cùm
tamen non sit licitum alteri invito aliquid de bonis fortunæ
subtrahere, ut vita membra alicujus societatis conservetur? ?
Anne invasor, cui vita eripitur, consentit? Nonne vita [res a-
liena] & qvidem pretiosissima ipsi invito eripitur? E. ad mi-
nimum colligo: Ereptio rei alienæ invito Domino, ut sic, non
est mala, qvia aliqvando bona est & licita. Inqvis: Invadore
consentit antecedenter, qvia consentit in id, invasionem alte-
rius, ex qvo seqvitur mors certissima. E. non est omnimodè
invitus. Resp. Ille, cui res aliena hoc tempore eripitur, con-
sentit [si bonus sit] antecedenter, qvia consentit in conserva-
tionem Societatis, & illius Membrorum in extrema qvoque
necessitate, qvantum fieri potest, non impediendam. E. con-
sentit etiam in medium illius, qvale ob extremam necessita-
tem aliud esse non potest, E. non est omnimodè invitus. Con-
sentit etiam [si sit rationalis] conseqventer. E. gr. si qvis tem-
pore pestis se in peregrinam terram recipiat, relictis adscititiis
qibusdam domûs sua inhabitatoribus, qui urgente extremâ
fame aliquid de absentis bonis in suum usum converterent,
qibus se vitamq; suam tuerentur, an tu Domine non consen-
ties conseqventer, i. e. postqvam factum tibi innotuit? Inqvis:
aliud est Dominus invitus, aliud inscius. Resp. ast ignorantia
est principium invitî, E. invertô, qui est inscius, est invitus,
licet hoc non vice versa procedat, qvia consensus præsuppo-
nit scientiam, E. ubi non est scientia, ibi non est consensus,
ubi non est consensus, ibi est virtualis dissensus. Sed brevi-
ter distingv. inter esse invitum positivè & negativè; Illud (1.)
ponit scientiam, (2.) negat consensum. Hoc negat (1.) scien-
tiam, (2.) etiam consensum. Inqvis: Probabile esse Dominum
in istiusmodi casu consensurum, qvod possit sufficere. Resp.
Semper in extrema necessitate hoc esse debet probabile, qvia
in bonum virum non cadit suspicio, ast boni viri nomen neu-
tiqvam merentur, qui bonis suis illud, qvod est optimum in
illo, cui maximè obligantur, non succurrunt. Illa, qvæ boni
viri bona sunt, partim tantum sibi, partim verò etiam Reipubl.
illiusq;



illiusq; membris debentur, ut recte Cicero L. i. de Offic. Qui ergo
pro bono viro vult haberi, illi res aliena tempore necessitatis
licitè subtrahitur. Ast omnes pro viris bonis tempore necessi-
tatis sunt habendi, neque temerè aliquis titulo hoc splendidissi-
mo privandus. E. in omnibus probabilis adest consensus, a-
deoq; res licet subtrahitur. Inquis, tenetur ille, qui necessi-
tate extremâ affigitur, Dominum rogare? Resp. quid si non
ad sit? quid si periculum in morâ? quid si privatis quibusdam
affectionibus versus nos agitetur? vid. Sayr. l. c. n. 19. Inquis: si no-
bis male vult. E. neutiquam in actum consentiet. Resp. con-
sentiet (rationaliter) in actum, licet non consentiat in perso-
nam agentem.

1102.

§. 8.

Verum ne hæc nimis crudè & sine omni limitatione ac-
cipiantur, considerandus est 1.) auferens, quis ille sit, ratione
generationis, an nobilis vel ignobilis, ubi alii putant, ignobi-
lem teneri, ut Dominum roget, non verò qui nobili profapiā
est oriundus, de quo vid. ap. Meldul. ratione dispositionis, an
sanus vel ægrotus, si sanus atque corpore robustus, nondum
extrema adest necessitas, unde nec illâ se tueri poterit, vid.
Ziegler. l. c. & B. Meisnerus l. c. f. m. 289. Sed quid si ad sit eviden-
tissimum periculum sanitatem amittendi, quod omnem aliam
evadendi spem excludat? hic profectò non video, cur non
conservandum bonum societati magis conducens, & auferen-
dum, quod ipsi minus prodest, vel etiam non obest, cur non
conservandum irrecuperabile, vel difficulter recuperabile, li-
cet auferatur bonum facillimè recuperabile, imprimis cum
Dominus rationaliter consentire præsumendus sit ex disputa-
tis. Si verò sanitas jam jam detrimentum passa sit, eo magis e-
tiam auferenti id erit licitum, quo ab omni in aliis spe est re-
motior, morti vero tanquam malo omnium maximo propior.
Ratione necessitatis illatæ occasionis, an sponte se in illam quis
conjecerit; si sponte se in illam præcipitaverit, male re alienâ
se inde liberabit. Qui enim consentit in media extremam ne-
cessitatem inferentia, consentiat etiam in ipsam necessitatem

B

& mala,

& mala, qvæ illam inseqvuntur: qvare h̄c distingv. inter necessitatem, qvam impedire potuimus & debuimus, qvæ te non excusabit, & qvam impedire non potuimus, non de illa, sed de ista thesis est intelligenda. Ratione Conscientiæ, an habeat Conscientiam rectam, erroneam, dubiam vel probabilem. Si enim qvis in Conscientia de ἀλεξίᾳ hujus actūs convictus, illum tamen susciperet, is utiq; peccaret, & qvidem indispensabiliter, vid. Horneji Phil. Moral. lib. III. c. 4. n. 3. non item peccabit, si in Conscientia rationaliter persuasus fuerit, istiusmodi actionem esse licitam: qvòd enim istiusmodi Conscientia non erroneoused recta sit, ex hac tenus disputatis per se patefecit. Ratione intentionis, an per id intendat bonum tantum privatum an simul publicum. An idem aliis in extrema necessitate fit præstiturus. Hūc refertur à qvibusdam animus ablatum restituendi cupidus, de quo tamen alibi.

§. 9.

Ipsam verò rem ablatam qvod attinet, videndum, an illa sensibiliter major sit, qvām qvæ ad declinandam illam necessitatem sufficit, vel non. Si illud, auferens utiq; peccare videtur, qvia plus accipit, qvām necessitas poscit. Qvare cùm ablationem superflui neq; necessitate neq; ve aliâ ratione possit defendere, malè illud atq; illicite erit ablatum.

§. 10.

Nec obstat, qvod urgent, qvi in contrarium tendunt. 1.) Generalis Lex est: Non facies furtum. Resp. Sed talis actio non est furtum. vid. Dn. Kulpif. l.c. 2.) Est Ablatio rei alienæ. Resp. sed non furtiva. 3.) non potest ullo necessitatis prætextu talis ablacio excusari, qvia illa necessitas fingitur. Resp. illa, cuius necessitas fingitur, non potest excusari. 4.) Pauper vel valet & ambulare potest, vel non, si illud, non est extrema necessitas. Resp. est extrema, qvia nullum aliud suppetit med. in vitæ conservandæ 5.) laborare potest. Resp. non autem statim labor vitam sustentare, ut si tempore pestis sit inclusus. 6.) ad minimum Eleemosynas ab aliis colligere, potest. Resp. qvamdiu ab aliis potest eleemosynas colligere, non-

1103.

nondum adest extrema necesitas, quid vero si alii non adsint? 7.) adeat Magistratum, qui illum debet juvare. Resp. qui si non adsit? quid si quod debet exsequi non velit? 8.) Si non potest ambulare, etiam rem alienam auferre non potest. Resp. esto non potest, id tamen licet. 9.) Si tamen daretur maximè extrema necesitas, magis tamen sibi suæq; Conscientiæ consuleret pauper, si moreretur potius in egestate à DEO immissa, quam si manus extenderet contra præceptum Dei. Resp. non magis sibi consulit, qui se morti tradit sine necessitate urgente, adeoq; nec Conscientiæ, quia officia, quæ societati præstare potuisset, intermittit. conf. omnino Sayr. l.c. n. 20. Ad probationem resp. per instantiam, Morbus est à Deo immissus. E. non licet adhibere media. Inquis, hæc non sunt licita. Resp. proba. Dicis, quia sunt contra præceptum Dei. Resp. nego, quia non est actio furtiva. In quam sententiam vide consentientes Grot. l.c. Dn. Pufendorf. l.c. Exc. Dn. D. Thomasum l.c. Dn. Kulpis. l.c. Slevogt. Disp. Acad. f. 778. Ames. l.c. ex Scholasticis Thomam 22dæ. quæst. 66. art. 7. Greg. de Valent. Tom. III. Disp. 5. quæst. 10. punct. 5. Meldul. l.c. Castro de Palao l.c. Sayr. l.c. n. 18. & ex illo Trullenb. Opp. Mor. Tom. 1. l. 7. c. 5. dub. 6. Laymann. l.c. & quos ferè non inter Scholasticos?

§. II.

Verum majus hinc dubium suboritur, an scil. is, qui extrema istiusmodi patitur necessitatem, possit illum, cui res auferunt, occidere, si aliter illa eripi non queat? Pro affirmativa certè argumenta ponuntur non contemnenda. Ita Sayrus l.c. f. 607. Si non pavisti, occidisti, & conseqventer poterit sic indigens ius suum per vim contra resistentem tueri, & sibi ad vitam necessaria jure suo per vim quoque, si aliter ea habere nequeat, accipere. Consentient Meldula, Trullenb. &c. Evidem, defensionem sui ipsius jure Naturæ esse concessam, in confessu est, servato tamen moderamine inculpatæ tutelæ. Ast talis, qui sine urgente necessitate ex parte sui, id mihi denegat, quod est unicum conservandæ vitæ meæ remedium, quodque denegare jure prohibetur, is æquè me interficit, ac si manu suâ me interemis-

B 2 set,



set, cur igitur non liceat eodem jure contra hanc causam mortis meæ moralē me defendere, atq; contra physicam id est concessum? Neq; differentia h̄c observatur in occifione, æqvè enim verè talis per resistentiam me occidit, ac alter per positivū influxum physicum. Inqvis, hic occidit positivè, ille tantum privativè. Resp. qvid tūm? Uterq; verè occidit. Qvinimò per instant. Si qvis latronum te offenderet, atq; merè privativè mortem tibi infallibilem minaretur, an h̄c defensio sui ipsius non locum haberet, & tamen occisio esset privativa? Neq; differentia observatur in animo occidendi, qvi in utroq; est extrémè malitiosus. Unde nec dici potest, qvòd hic iñocens occidatur. Accedit qvòd ipsa Scriptura istiusmodi extremè morosos occisores dicat, cur non ut occisores judicandi? Inqvis, adeat Magistratum. Resp. qvid si non adfit? ut si iter cum altero ingressus, labia præ siti faucibus tibi h̄reant, ita ut certo atq; infallibiliter peritum te prævideas, cùm tamen alteri aliquot repletæ vino lagenæ restent? Non tamen inficiar, dubia h̄c ab aliis moveri longè gravissima. vid. *Magnif. Dn. D. Ziegler. l. c. f. 232.* qvæ etiam nos movent, ut malimus h̄c ad pedes nostrorū Gamalielum confugere, qvàm aliquid acdaeter affirmare. Et qvamvis libenter fateamur, causam mōralem minus puniri, qvàm physicam, sicut qvi per bovem aliquem occidit, pro illo pretium licebat ponere redemtionis, *Exod. 21.30.* cùm contrà si qvis propriā manu aliquem occidat, pretium pro illo ponere, non liceat, *Num. 35.36.* magna tamen nobis dubia superesse non inviti concedimus. §. 12.

Et hæc qvidem de ablatione rei alienæ invito Domino tempore extremæ necessitatis factâ, quantum ad materiam publicæ disquisitionis sufficiant. An vero idem sit censendum de qualibet gravi necessitate, qvod *Vasquez*, *Lessius*, *Navarrus* & *Trullench.* assumunt, vel non, qvæ communis ferè Moralistarum est sententia, ut &, an, qvid, & quantum auferens restituere teneatur, alii tempori reservamus. Cæterū uti quemlibet facile h̄c suo sensu abundare permittimus, ita idem quoq; ab aliis nobis pollicemur. Malevolorum vero, qvis qvæso tantæ animi foret impotentia, ut oblatrationibus iniqvis moveatur.




ULB Halle
005 870 828


3



107



Farbkarte #13



B.I.G.


14 DISPUTATIO MORALIS
De
**MORALITATE
ABLATIONIS**
REI ALIENÆ
Tempore Necesitatis,
P 446 *Quam*
Inclutæ Facultatis Philosophicæ
in
ALMA LIPSIENSI
Consensu,
P RÆ S I D E
M. JOH. FRIDERICO *Heunisch*,
Svinfurtensi,

PUBLICÆ ERUDITORUM DISQVISITIONI
sistit,

GABRIEL *Rehler*,
Gedanensis.

Ad d. X. Novembr. A. O. R. M. DC. LXXXIII.

LIPSIAE,
Typis CHRISTIANI GOTZL.



196

54.
Dr. magis. C. A. Albers
P. A.